DE

EXCELLENTISSIMA

COLVMNENSIVM FAMILIA

ORATIO

MICHAELIS ANGELI

SAMMARVCI ROMANI

AD


MAGNVM COMESTABILEM

REGNI NEAPOLITANI

PHILIPPVM COLVMNAM.

DVCEM

PALIANI, ET TALEACOTII, ETC.



Romæ, In Hospitio Puerorum Litteratt. 1633.
Apud Io: Baptistam Roblettum.

Superiorum permissu.

MAGNO
COMESTABILI
REGNI NEAPOLITANI,
PHILIPPO
COLVMNAE,

Michael Angelus Sammaruçus F.





EDEO ad ingenium, atq; institutum meum, ærumnosa vitę acerbitate diutius intermissum, & variis affectum infortuniis, quibus liuor, fallaciarum omnium scientissimus, me prosecutus est, & meam aduersus innocentiam tam nefarium anhelauit scelus, vt propemodum lacrymandum sit

 illi,

illi, qui habet ſenſum humanitatis. Quare nunc denuo venio ad te (Princeps Excellentiſſime) hoc eſt, è naufragio ad portum, & in ſinum ſplendoris, ac nominis tui iterum confugio; Quippe me non latet, vlla ſine labe calamitatem tua quidem Magnanimitate ſubleuari. Accipe igitur, quicquid de antiquiſſima tui Generis nobilitate mea dicendi ignobilitas locuta eſt. Ac ſi ingenio parum in hoc valuerim, & tenuibus vſus ſim viribus doctrinæ, me excuſa; Quoniam anguſtum vitrum non capit Maria, lippus non ſuſtinet Solis radios, neq; infirmus humerus tantam Molem regit; Vale.

DE EXCELLENTISSIMA COLVMNENSIVM FAMILIA:

ORATIO

AD MAGNVM COMESTABILEM REGNI NEAPOLITANI, PHILIPPVM COLVMNAM.



QVÆ singula disertissimis etiam eloquentiæ Principibus, amplissimo in loco, dicentibus, metum incutiunt, (Princeps Excellentissime) ea,

mihi infantissimo Oratori, in hac suscepta exornationis prouincia, se se offerunt vniuersa; Enim verò cum affluentia laudum, & præconiorum vbertas, quorum coronamento, COLVMNENSIS amplitudo Familiæ, ac maiestas, decorata in dies magis, magisq; maxima quidem accessione gloriarum efflorescit; tùm dicentis ieiunitas, mihi plurima prętermittenti, & pauca proponenti, summam plane difficultatem afferret, & mentem ab incepto munere quodammodo retardaret, nisi veritas ipsa, quæ peregrinis facundiæ pigmentis fucata corrumpitur, simplex, puraq. mortalium mentibus inferi, oculisq.in medium proferri nuda desideraret; nam veritatis indumentum nuditas est.. Quis enim in tanta rerum ignoratione versatur? cui cognitum, perspectumq. minime sit, eam esse Columnensium nobilitatem, atq. pręstantiam, tantamq. ex ea, tanquam ex inclyto virtutis theatro, maximorum vbertatem Heroum extitisse, vt demissa potius veneratione silentij, quam exili, ieiunaq. dicentis eloquentia, veneranda sit, atque ad eam pro dignitate laudibus exornandam, nihil, nisi perfectum ingenio, industriaque diligenter elaboratum, afferri debeat. Verum ne me sublimia humiliter, tenuiter ampla,

præ-

præclaraque inornatè tractantem in tanta rerum copia deterreat orationis exilitas (Princeps Excellentissime) omne mihi perfugium singulari in tua humanitate, munitissima velut in arce, futurum esse confido; vt meam dicendı imbecillitatem, quod mihi summopere necessarium esse video, tuæ confirmet robur humanitatis: atque dum aliquid de gloriosissima tui generis nobilitate balbutire conatur ignobilis mea perorandi tenuitas, nobilissimę tuę benignitatis aura corr oboretur.

Atque vt indè oratio mea proficiscatur; vnde hoc vniuersum meum exornationis ducitur argumentum, Princeps philosophantum, ac sapientiæ prodigium Aristotiles sapientissimè de more pronunciauit, nobilitatem esse quandam claritatem, ab antiquissimis parentum primordiis suum deriuantem genus; & neminẽ cuiuscumq; mortalium ordinis illa spectatissimę nobilitatis nota cohonestari, nisi præclarissimis ortum natalibus, & qui possit ad maiores longè clarissimos originem, & principium referre, ac ostentare genus in primis nobile, cuius vetustas longissima bellatorum, ac literatorum, serie, haud dubiis testata monumentis, à primis illis seculorum ætatibus, & conditæ huiusce vniuersitatis ini-

tiis, repetatur: sed fortasse idem Peripateticus ex hac honorum, nominumque prærogatiua, vanissimas deduci familiæ ostentationes ignorauit; & inaniter omnium vbique mortalium ora gloriis, ac fumosis Auorum imaginibus, falsis quodammodo fortunæ bonis, efferri, vt si pueros alieno quidem paludamento, purpuraque non sua, superbientes videres; quæ hæreditaria nō relinquntur à Maioribus, sed plurimis sanè laboribus, & vitæ periculis comparantur; & ipsa virtute, quæ nec aliorum induitur exuuiis, nec appetit vulgi plausibus enitere, ad splendorem futuræ posteritatis conseruantur.

Stēmata quid faciunt, quid prodest Pōtice lōgo
Sanguine censeri, pictosq. ostendere vultus
Maiorum &c.

Et postea,

Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria; nobilitas sola est, atq. vnica virtus.

Hinc Marius, Romanus Orator, & morum censor, ac Magister Iuuenalis, cæteriq; huiuscemodi, qui ab ipso ineuntis ætatis principio illud arduum, ac cum labore ad virtutem directum iter, ingressi, nihil in vita expetendum, aut magnifaciendum putarunt, nisi quod cum laude, & dignitate, coniunctum virtus ipsa fortibus animis lar-

gire.

giretur. Quamobrem per inclytos hono rum tramites adeo laborarunt, vt è loco obſcuro, & familiæ ſordibus, ad ſupremum amplitudinis gradum, imò ad amplisſimum dignitatis faſtigium euecti fuerint. Quapropter Aſpaſia prudentiſsima illa, ac celeberrima Matrona, apud Platonem ingenij, & doctrinæ principem, iuſsit Maiorum illas imagines, ac decora triumphorum, poſterorum ob oculos ab illis potiſsimum poni, qui lugubres inter parentalium inferias, ac funeſtiſsimas inter mæroris tenebras natas de mortis vmbra, Auos tunc extinctos, anniuerſario lacrymarum tributo proſequerentur, vt Natorum, Nepotumque mentes ad præclaram earum virtutum æmulationem imflammarentur, ac totius familiæ decus, & ornamentum, quod à Maioribus ampliſsimum accepere, maiori virtutis incremento longe cumulatum Poſteritati relinquerent. Quare ſępe ſæpius viſi ſunt complures præter vetuſta domeſticę amplitudinis monumenta, egregia Parentum facinora, & claritatem nihil habere, niſi ipſius ea propriis geſtis, ſcientiis, & doctrinis, (quæ ſunt ſplendidiora nobilitatis præſidia) cohoneſtarentur; & virtutis prætio ampliora fieri viderentur.

Quod

Columnensium Familia & antiquitate generis, & splendore virtutis nobilissima.

Quod sane vtrumque decus inclyta Columnensium Familia complexa est, quę si emicuit in bello, nequaquam turpissimo animi laxamento confecta est in pace, quæ gemina laurea, hoc est armis, & toga splendidissima, quodammodo laudum eximiarum coronide, se exornauit, quæ deniq. quęsitam domi gloriam in publico auxit, & in publico partam domi reddidit celebriorem: ò præclaras laudes, ò pręconium singulare. Sed, antequam ad cęteras huius gloriosissimę gentis virtutes enarrandas, accedamus, in ipsius pręclarissimo stemmate, excelso velut in theatro, eius nobilitatem, & amplitudinem contemplemur.

Originē repetit ab Hercule.

Hercules Heroum ille fortissimus, ac strenuitatis miraculum, qui cum ipsius infantię crepundia, & incunabula, draconum sanguine decorasset, ac deinde asperrima virtutis cacumina prętergressus, gloriososque post exantlatos labores, complurium funere portentorum, opimisque percelebris exuuiis, demonstrauit vniuerso terrarum orbi, ipsum ea facinorum laboriosissimorũ ascendisse fastigia; quia non in æquata terrarum planitie, ac in apertis deliciarum plagis, triumphantum coronæ germinascunt. Is enim Osyridis genitoris vltus mortem, profectus est in Hispaniam Geriones aduer-

aduerſus, & cum ea portentoſorum hominum pectora profligaſſet, ac Montes, Calpen, & Abylam cum diuiſiſſet, Columnas extulit, eiſque veluti glorioſiſsimę fortitudinis limitibus, confiniis bellicoſiſsimæ laudis, vaſtiſsimas, ac longe, lateque diffuſas vndarum immenſitates terminauit. Inde in Italiam migrauit: ipſi enim poſt memorabilia egregiæ planè fortitudinis geſta, nupſit filia Cęculi, qui Vrbe in Pręneſtina ſummo cum Imperio regnabat, ex qua aliquos ſuſcepit natos, qui Regali COLVMNAM in Stemmate erexerunt: Vnde antiquiſsimum duxit initium Herculea quidem profectò Columnenſium Familia; Neque immerito ea, tam ſingulari antiquitatis appellatione mihi cohoneſtata videtur: quoniam duo millia ſupra ſeptingentos, & quinquaginta annos repetit ab Hercule. Poſtea vero Traianus Imperator, qui in tanta reſurgentis Vrbis pulchritudine talem ſe prębuit Reipublicę, qualem vix exprimere ſui morũ plane Hiſtoricorũ ingenia valuerunt? Is enim in communi omnium gentium, ac nationum lętitia, cũ vocales virtutis ſuæ nactus præcones eſſet, & conſecutus; voluit huic Vrbis æternæ Columini; hoc eſt ſtabilitati virtutum

nun

Olympiodorus hiſtoricus in paucis eximius dicit. Traianus Imperator fuit patria Tudertinus, & ipſe nobiliſsimã Domum de Columna in Vrbe Romana plãtauit, quia ipſe natus eſt apud Columnam; quæ ſibi numen fuit Imperialis dignitatis.

nunquam sanè defectura, incumbere, & illud pulcherrimis longè, Augustorumque dignissimis liberalitate, monumentis, reddidit munificentissimum; Quippe in altissimam terræ profunditatem iecit fundamenta è saxis validissimis, ad forum, ad miraculum vsque ditandum; porticum marmoribus proprio sub pondere sudantibus circumdedit: hic Belgico saxo, hic Numidico, hic Lesbio, Ætyopico, Pontico, Indico ludebat maculosa varietas; vidisses columnas illas, multarum onera nauium, & mille boum immania plaustra, molesq. ipsas defatigato Oceano, & Fluminibus terrarum ab vltimis deportatas. Posuit in medio arduam Columnam vnam, Augustam planè memoriam, ac celeberrimum antiquæ magnificentiæ monumentum, apud quod obscuratas iam video Aegypti Moles, & Cariæ Mausolæa, & quicquid summo quondam splendore maximè prædita Persarum, & Asyriorum superbia in terris excitauerit. Ibi circum res Romanorum vniuersas imprimendas curauit non tantum ad gloriam Vrbis regnatricis; verum vt futura ad eam Posteritas æmulo liuore venticaret, atque de ea gloriaretur. Hisce tantummodo moenibus virtus tanta poterat contineri, atque

erigi

erigi hęc Columna, quę Sua Stat Mole, Vrbs inquam illa vna huiusce erat capax, quæ cunctarum gentium patria, maiestatis, & glorię domicilium, virtutum nutrix, Heroum altrix, Amphitheatrum fortitudinis, antiquitatis monumentum, & sedes Romanorum. Hæc Columna est illa ex igne, quę tranquillissimos, ac longè, lateque diffusos radiorum emittit imbres, & nouo pluuij splendoris in dies incremento tres aperit vias, Militię, inquam Pietatis, & Togę, per quas COLVMNENSES, veluti filij lucis, iter faciunt gloriosissimè ad regiam Solis, hoc est ad theatrum Immortalitatis. Et quoniam vnumquemque strenuissimum, naturę nutu, ductuque cogit hoc pristinę glorię, & ingenuæ plane libertatis fortunatum solum, triumphorum, ac victoriarum summopere fertile, vt eo teneatur desiderio, quod in Heroibus, Romano sub Cœlo ortis, atque educatis, maximam vim habet ad pugnas, & magnis quidem ingeniis, ex hisce senescentis quondam Vrbis, deformi ędificiorum squallore, reliquiis, atque ex hac sepulchrali Molium, tum antiquę magnificentiæ, cum etiam vetustatis,

Hæc familia redditur celeberrima militia, pietate, & toga.

non-

nondum euanescentis, imagine, magnanimum quiddam, & quasi Martiale spirat Roma, cuius sic longè, lateque diffusa est virtus bellica, & Maiestas, vt ditionem suam non vltimis terrarum marginibus, sed vastissimis Cœlorum regionibus equauerit: ab iis initium capiam, qui amplissima Militiæ prerogatiua, maxima sibi, ac ciuibus suis decora compararunt ac primo mihi licebit appellari Carolus Columna, summopere clarus, armorumque gloria percelebris, qui ab inimicis expulsus profectus est in Moscos, quibus in Oris, oppidum Columnam erexit, vt peregrinis etiã in plagis suę spectatę nobilitatis sempiternum aliquod extaret ad posteros Monumentum: qui præterea meritis grauior, quã annis, Romam rediit, maxime diues, ac omnium acceptus alacritate Ciuium, & beneuolentia, principio cuiusdam nobilis magnificentiæ Familiam est prosecutus: Et cum aliqui Columnenses ab Vrbe discessissent, vt magis eorum pateret virtus, migrarunt in Germaniam, vbi Hennembergh ædificauerunt, Dominique fuerunt ipsius, ac Principes: Inde Pyrrhus Pheyler, quem Stemma Columna cohonestabat, Romam venit, cui extincto successit Valerius Columna, ampiissima illa

Carolus Columna proficiscitur in Moscos, ibique oppidũ Columnam ædificat.

[illegible] Germania à quibusdam Columnensibus fabricatur Hennembergh. & ipsius sũt Principes.

Pheyler dicebatur Colũna in Germania.

Co-

columna Patriæ, cuius fama nullis sæculorum circumscripta finibus perennabit: Sed illos etiam appello. Othonem, inquam, Martium, Sciarram, Ioannem, Iordanum, Laurentium, Antonium, Hieronymum, Prosperum, cæterosque, illa inquam Romani nominis lumina, quę ne nunc quidem post occasum illustrare posteros desierũt, ex quibus nonnulli fuerunt, qui ea dedere paterni signa roboris, & sapientiæ, quibus ostenderint suo etiam in pectore magnum foueri bellorum ignem, altæque pacis cinere consopitum esse, & non extinctum, qui iterũ tubarum flatibus succensus, atq. gloriæ Aquilonibus impulsus, nimirum in vltima inimicorum excidia erumperet. Verum quid de te dicam? Magnanime Ioannes, qui in legatione aduersus Turcas hostilibus spoliis onustus, atque Othomanicæ Tyrannidis barbariem retundere conatus, Christianus miles dicam ne, an Martyr? de ferali illorum immanitate Tyrannorum victoriam reportasti, atque de illa gloriosissimè triumphasti. Tù Columnam, vbi humani generis Reparator squallore supplicij miserabiliter spectabilis extitit, amplissimum tuæ constantiæ quodammodo trophæum, tulisti in Italiam: ò facinus palmare, atqu: aureis caracteribus impri-

Valerius Colũna alijque cõpiures de hac familia.

Ioannes Cardinalis Columna, qui Columnam Christi ex Affiriorum plagis tulit in Italiam.

primendum, omnique sæculorum memoria celebrandum. Vni nimirum Romanæ fortitudinis COLVMNÆ licuit munerari alia Columna; Quippe Vrbs Roma nequaquam timere debet, ne superba complanet mœnia Hostium fulmen, quia maius ad præsidium ipsi habere in se, & Cœli Columnam, & Terræ, est gloriandum. Quis enim non putabit nostris etiam tempestatibus nouum fore Ioannem, qui non tam splendore purpuræ coronatus, quam suarũ Sole virtutum illustratus, iturus sit summo cum imperio præfectus in Asyriam, exercitumque aduersus illas Treiciæ belluas impietatis conscribere à Pontifice iussus, vt illis in efferatis, & barbaris partibus firmissima iaciat Religionis Christianæ fundamenta: Quoniam viuit Ioannes Columna, & in dies magis, magisque fulget in Maiorum gloriis, dum reputat honestissimam occasionem sibi oblatam à parentibus, erectoque animo dat operam, ne vllo pacto ab illis degenerare videatur, & generoso quidem conatu non tam hæreditaria familiæ, quam virtutis decora consequatur. Pretereo strenuissimos illos exercituum Imperatores, & inuictæ heroas fortitudinis, quos immortalitate dignissimos reddidit virtutum studium in toga, & in bel-

Hic laudatur Illustrissimus, atque Excellentissimus Ioannis Columna.

bello animi magnitudo, & liberalitas, qui etiam remotissimas Terrarum migrarunt in oras, vt in Amplissimo virtutis Campo noua bellorum seges noua esset materia triumphorum. Illi quidem, cum maximè fureret audacia, scelus anhelaret, pestem religioni nostrę nefarie moliretur, Christianis omnibus, viris, fęminisque vincula, mortemque minitaretur; omne à nobis periculum, vitę suę periculo, depulerunt, Barbaricasque & immanissimas nationes debellarunt, eisque in nos irruentibus iter corporibus suis occluserunt, ac perniciem, quam ferox Othomanus Christianorum orbi machinabatur, in ipsius caput conuerterunt, Victoriis, & Turcicarum vrbiũ direptionibus Traciam peragrarunt. Reticeo triumphos nunquam ingratę Posteritatis reticentia obruendos; sed quid de te? (Marce Antoni Columna,) qui impenetrabili, ac prope Cęlesti sub clypeo lucens formidabilè Orientis Imperio, & immortale micans in armis, Auctor fuisti, ne miserrimę, ac nunquam satis deploratę Cypri clades amplius in Christiana Republica renouarentur, ac Selymus, Mustaphus, cęterique Barbari Duces per illos Ambracię campos cadaueribus Christianorum, Marcus Antonius Columna.

 opple-

opletos, insana rerum molitione grassarentur, tantaque Fidelium internecione imminerent, ac ipse immanissimus Turcarum Tirannus omnium Regnorum appetens, tot armatarum nubibus Cohortium, quas quotidie in pugnas cogit, incredibili dissipatione iugum sempiternæ seruitutis in nostris, totiusque Reipublicæ ceruicibus collocare pergeret. Quid de te? (Fabrici) Obscuretur clarissima Amazon illa non tam Historicorum celebrata literis, quam fabulosis decantata Commentis, Hyppolita, quę cum Barbaris, atque efferatis Nationibus, belluisque immanissimis, decertauit; verum tantam eius virtutem vnus Hercules superauit; obscuretur. Quippe floruit alia Amazon in terris Hippolita, inquam Gonzaga, longe pulcherrima, quæ dos nihili haberetur in corpore, nisi pulchritudinem virtutis splendor illustraret; Tù Fabrici, Romanus velut Hercules, ab ea cingulum reportasti, vt tui generis spectata nobilitas clarissimo ducta fonte, velut purissimo excepta solo, ripas, atque alueũ amplificans, clarior, auctiorque ad Posteros emanaret, tuas sileo laudes, ac virtutes, nam alienis eloquentię luminibus nequaquam eget ille, qui propria luce refulgeat.

Fabricius Colũna, cui nupsit Hipolyta Gonzaga.

geat.

geat. Verum ne longior pouehatur Oratio, accedamus ad eos, qui hæc istorum arma mansuetioribus quidem Musis exornarunt. Inter illos celeberrimus extitit Aegidius Columna, cui imposita fuit Diui Augustini ordinis præfectura, qui non fuit nixus Maiorum meritis, & gloriis, talis enim fuit, ac tantus, vt etiam si præclari generis ornamenta defuissent, summum ipse generi ornamentum esse videretur, & clarissimo suarum splendore virtutum, Maioribus etiam obscurissimo loco natis lucem afferret. Neque vos prętercam in hac publica panegyri, Ioannes Columna de Prædicatorum familia Sancti Dominici, Pomponi, & Alexander, quorum ex moribus tam ferax extitit Heroicę virtutis vbertas, vt scripta vestram longè præstantissimam in omni tempore doctrinam testari videantur. Venio nunc ad huius inclytę familię singularem erga Cęlestes pietatem, ac primo ad hanc postremam Orationis partem exornandam, summum illũ Sanctissimum Pontificem Sixtum appello, qui Diuino prępositus ærario, cum insatiabilem immanissimi Tyranni crudelitatem atrocissimis pęnis explere non potuisset, acerbissimo sub cruciatu clausit ora,

Nunc de illis, qui in literis summopere valuerunt.

Aegidius Columna.

Ioãnes Columna. Pomponius, & Alexander.

Nunc denique de Pietate.

Sixtus Pont. Max. Martyr.

apertuit vulnera, & augustissima martyrij laurea fuit coronatus; Testor Marcellum, Adrianum Tertium, ac Stephanum VI. qui Regium Romani Sacerdotij Principatum, assecuti, huic gloriosæ nixi Columnæ, nouelli sicut Atlantes, huiusce Molem vniuersitatis sustinuerunt. Hinc etiam Martinus hoc nomine Quintus, heros ille concordiæ amans, & publicæ quietis fundator, qui nequaquam ab illis mihi degenerasse videtur; Nam ipsa rerum ab eo præclarè gestarum multitudo eripit Oratori delectum, & disertissimam Orationem, & copiosissimum, amplissimumq. postulat dicendi genus. Gratulamur enim mutuas populorum inter se dessidentium, ac fluctuantium strages, in tanta Italię tumultuantis sollicitudine, prudentis charitatis officiis sublatas, admiramur singulari comitate conditam grauitatem, incredibilem mansuetudinem nullis labefactatam offensionibus, Sacrum Imperium, semina virtutum, incrementa Patriæ, Iustitiam, Sapientiã, Fortitudinem, Temperantiam, Diligentiam in re Militari, in Ciuilibus lenitatem, in subleuandis Ciuitatibus largitionem, Fidem in medio collocatam, ornamenta Familię, Victorias de aduersis reportatas, fundamẽ-

Marcellus, Adrianus Tertius, Stephanus VI.

Laudes Martini Quinti.

ta

ta Pietatis, firmamenta Religionis, probitatis Iura, prudentię Scita, Sapientię Decreta, pręcepta Sanctitatis, inuitamenta Laudum, optimę vitæ institutionis exempla, ornamenta Morum, & Simulacra Virtutum ad Posteros propagata. Gratulamur denique ipsum in amplissima populorum administratione, partes omnes explesse pulcherrimę, præstantissimæque virtutis, diffluentes Ecclesiasticorum mores coercere, Nauiculam Petri Schismatis, & Seditionum omniũ fluctibus quassam, in portum Salutis redigere, caput renascentis hydræ vbique radicitus extirpare, cultum Diuinum amplificare, Hęresim impunè baccantem opprimere; ipsas Cœli Ianuas hominibus vel aperire, vel claudere, omnem vigiliam, industriam, diligentiam ponere, vt firmaretur Religio, eius stabilirentur vires, illaq. proferretur per omnes nationes, ac gentes, & nulla ex parte nutaret. Quamobrem, quantam se præbuerit quodam Romana potentia, vlla absq; dubitatione est animaduertendum, quando sua labans, ac laborans magnitudine, tẽporumq; diuturnitate pene debilitata, quemadmodũ illa, cui vires nunquã erant defecturę, vidit proprio ex vtero ad iactantiã illius Nationis bellatricis in lucẽ edi hanc firmissimã pietatis Columnã, vt

illa amplitudo Dominij, ac Maieſtas tanto ſub pondere ſibi propemodum incumbens, ab ea ſuſtentaretur. Hinc quoque complures firmiſſimi noſtræ Fidei cardines, nempe purpurati Patres, Nicolaus, Potentianus, Ceſonianus, Attilius, P. Arcadius, Phatidius, Montius, Herodorus, Veturius, Latinus, Maiorinus, Theobaldus, Raimundus, Manilius, Benedictus, Ioannes, Albertus, Iacobus, Petrus, Agabitus, Stephanus, P. Paulus, Otho, Pompeius, Aſcanius, Cęterique innumerabiles, quorum omnium virtutum cumulus in Hieronymo Cardinale Columna, clariſſimo purpurati Cœli ſydere, & noſtri æui luce, reuiuiſcit, immo augetur, qui (quod rarum eſt inter Principes) cum Ampliſſima purpuræ Maieſtate, incredibilem quidem ſapientiam omnium Doctrinarum ſtudio exaggeratã, copulauit, adeo vt non tam hæc Vrbs Terrarum, Mariſque totius longe, lateque fuſi Regina quam Bononia, Doctiſſimæ quidem Italiæ Athenæ, ob innumerabiles, & Maximas planè vtilitates, ex eius fęlicitate, profectas, recordari iucundiſſimè; deque ſingulari eius virtute, debeat quam diutiſsimè gloriari. O præclaras laudes æternitatis æmulatrices, quæ per

Cardinales.


Hieronymus Cardinalis Columna, eiuſq; laudes.

per Heroica Patrum vestigia cognato immortalitati vertice, decurritis; nempè dignæ, quæ per omnia immortalium laudum præconia celebrentur. Verum ad maius huiusce Familiæ decus vos vos appello, vos Austriaci, Aragoni, Estenses, Boromei, Sfortiades, Vrsini, Cybi, Pignattelli, cæterique nobilissimi Italiæ, Europęque, & aliarum Mundi partium Heroes, qui peruetustam COLVMNENSIVM Nobilitatem, & Amplitudinem cum antiquissimo vestræ Familiæ Splendore geminastis. Sileant igitur hic Nobilissimę quondam Romanorum Familiæ, quas in nihilum propemodum redactas sæculis circumlabentibus fuit admirata Posteritas; verùm hęc eximiæ Nobilitatis, & Heroicæ Magnitudinis ornamenta noua quotidie accessione virtutis cumulata conspicio, ac prętertim in te, PHILIPPE COLVMNA, præclarissimum Romanæ Ditionis lumen, ac Columen; Quoniam in Amplissima hac decorum claritate splendoris sedem elegit Romani Cœli Sol met ipse, ac Terrarum publica lux VRBANVS. Sileant hic quoque Alexandri quondam illi Macedoniæ, quos cum terris vniuersis arma circumtulissent, atque Oceanum vltra, Mundique claustra

De Columnensium affinibus.

bellatrices illa patefient loca Fidelium veneratione, Sanctitatis, & Maiestatis plenissima, quæ olim delapsus in terras Deus suis calcauit pedibus, lustrauit oculis, laboribus consecrauit, nobilitauit infamia, ac sanguine colorauit. Quare se non aliunde vere tranquillissimo sperant fruituros aridi Gethsemani Horti, percussi, & vsque adhuc procellosa affecti tempestate horribili, ferociq; Tartarei spiritus afflatu, vecto Aquilonum alis, sanguinea sub Luna; Neq; aliunde Flores Nazareni suam desiderant salutem, nisi ab hac COLVMNA, super quam dulciter volantes APES Terrarum regnatrices, ibunt breui ad componendos suauissimos quidem fauos Cedrorum truncis incorruttibilium in florentissimo Libani gremio. Hinc distillabunt populis, Regionibusq; illis miserabilibus dulcissimum libertatis iam olim; sed nunquam satis deploratæ, solamen, cuius Mel ipsa erit VRBANITAS: errani, Diuinitatem dicere debueram; ipsa nunc enim VRBANITAS, Diuinitas est.

D I X I.




DE MARCO ANTONIO COLVMNA.

ORATIO

MICHAELIS ANGELI SAMMARVCI ROMANI

AD MAGNVM COMESTABILEM REGNI NEAPOLITANI PHILIPPVM COLVMNAM. DVCEM PALIANI, ET TALEACOTII, ETC.



Romæ, In Hospitio Puerorum Litterati. 1633.
Apud Io: Baptistam Roblettum.

Superiorum permissu.

MAGNO COMESTABILI REGNI NEAPOLITANI, PHILIPPO COLVMNAE,

Michael Angelus Sammarucus F.





Æ Laudes (Princeps Excellentissime) accedunt ad te, quæ vitari minimè potuit, quin fuerint potius adumbratæ, quam exornatæ, obscuratæ, quã illustratæ. Quis enim tam Magnanimi Herois gesta poterit recensere? Ego verò meam propter ętatis tenui-

nuitatem illa destitutus eloquentia, quæ ad hoc requirebatur, nequaquam potui tanta decora cogitare, nedum narrare, contemplari, nedum describere; Sed quamuis mihi dicendi deficiat copia, ideo non deficit occasio in te illa perspiciendi, in quo omnia, tanquam in Annalibus, videntur descripta, & ad viuum figurata; Forsan reus ero audaciæ, dum Orationem meam, vt in lucem prodeat, dicandam sisto? minime; Nam si istæ laudes tuæ sunt, cur tibi dicari non debent? Hanc igitur Orationem humanissime, quo soles vultu, libenter excipe; cum sit propositum argumentum Magnitudinis tuæ, & obseruantiæ meæ. Vale.

DE MARCO ANTONIO COLVMNA.

ORATIO AD MAGNVM COMESTABILEM REGNI NEAPOLITANI, PHILIPPVM COLVMNAM.



AVDABILITER profectò (Princeps Excellentissime) est in more positum, institutoque Maiorum, vt ad Militum sepulchra, omnium conuentu populorum splendidiora extincti Bellato-

ris

ris facinora publico sanè præconio excipe-rentur, & Heroum illam, præclarũ aliquod Reipublicae munus obeuntium fortitudi-nem, quae in aerumnosissima defensione publicae quietis, in tumultibus Bellorum, in certaminum discriminibus, in peregrina-tionibus longinquis, pro Patria fortiter tandem aliquando occubuisset, id cohone-staret præmium, quod virtuti tantummodo debitum videretur; Quocirca Posterorum inertia silentio minimè præterire debet, quicquid gloriosum, atque admirandum, parentum in optima vitæ institutione, ac moribus elucescit. Quippe mortalium conditio acerba nimis esset, si gelidis cum ossibus, & cadauere, Heroicarum pariter memoria virtutum certis sepulchri finibus terminaretur, ac illæ bellatrices animæ, quæ in amplissimo suæ glorię splendore immortali fruituræ sunt vita, in suorum planè egregiorum mercede facinorum, op-timè elaborata, subito quidem funere affi-cerentur. Quod sane non accidit M.An-tonio Columnę, Homini Militaris negotij scientissimo, in cuius abundante orna-mentis omnibus vita non sum ita hospes, quin intelligam, mihi eloquentiam, & ma-turitatem, in ipsa rerum laudabilium de

maie-

maiestate contendentium, multitudine, desiderandam, & plura me decora, singulare sane præconium postulantia penitus intacta relicturum, quæ ab aliis, si hæc prouincia foret verborũ elegantissima, debitis tantæ virtuti laudibus nõ fraudarentur. Ipse enim in tanta Maiorum Amplitudine imaginem promeritus nullo vnquam æuo moriturã, pulcherrimam sui in omni virtutum genere haud immeritò proponit effigiem Posteritati: Quippe tunc egregiis Parentum facinoribus, quædam sapientissimis, & bellicosissimis, hominibus flamma crescit in pectore, quæ restingui non potest, antequã illa Heroicæ exempla fortitudinis, ac sapientię expresseris imitando. Is denique in iucundissimo Patrię gremio natus, & in tanta rerum Vrbanarum affluentia innutritus, infantiam egit, quę nntricem habuit innocentiã, tenerosque ipsius annos ea solertiũ prçceptorum erudiuere documenta, quibus præclara talium puerorum ingenia, ad summum familiæ ornamentum, ciuiumque emolumentum, excitantur. Nam tales sibi vendicant mores, vitæque institutionem, qui publico splendori sunt nati, ac strenuè in assequenda honestarum artium scientia omnes cogitationes suas, atque omnia

C stu-

ſtudia conferunt; Nam præclarè intelligũt ſplendidiora claritatis ab illa manare præſidia, & à doctrinę ſplendore celebriorem duci Nobilitatem. Erat in eo rara indoles animi, egregia corporis forma, magnum, & acre ingenium, adeo, vt eum nulla difficultas ad inſtituto curſu reuocaret, non libido ad voluptatem, non otium ad animi remiſsionem, non denique ſomnus ad quietem; imò haud dubia ſpes propoſita ipſum erigebat, honor certus incendebat, aperta dignitas inflammabat, & ad gloriam maxima, & certiſsima prȩmia commouebant. Quare per ea tranſiturus loca, in quibus videtur adoleſcentia, labilis ætas, dubiis voluptatum illecebris blandiẽtium, veluti Acheloidum cantibus, in miſerum vocata diſcrimen; huius vitȩ nauigationi tunc commiſſus vidit Mare ipſum prȩ ſecuritate tutiſſimum ſibi eſſe portum, cum ſurdis auribus naufragos illos Syrenum ſcopulos nauigaſſet; Nam ab illa fallaciarum omnium ſcientiſsima cupiditate, abhorrentes, eaſque dulciſsima ſub imagine blanditiarum illecebras pro nihilo putantes, & tandem inſtitutum illud iter emenſi, vellus Aureum, hoc eſt virtutem immortali coniunctam fama, conſequuntur illi, qui-

quibus antiquissima Parentum amplitudo longissima clarorum bello, & pace virorum serie, per plurimas deinceps ętates repetita somnum excutit, splendidumque proponit egregios inter conatus cursum ad gloriam. Nimirum intelligebat oculatissimę mentis Adolescens, laborum ignaros, sudorum, molestiarum, fatigationum, dolorum, ægritudinum nescios, & omnium aduersarum rerum, & miseriarum nequaquam expertes, ingenij magnitudinem, prudentię fastigium, nominis æternitatem, ac Ciuibus suis noua insuper decora minimè consecuturos; quocirca in laborioso virtutis campo ita desudauit, vt vberrimam gloriæ messem ab illo, magno quidem cum vitæ discrimine, sed maiore cum decore, reportauerit, cum vestigium suo in pectore contumaciæ nullum cerneretur, atque in roseo ætatis suæ quodammodo tyrocinio inter pulchros doctrinæ flores iam tùm senilis quædam in eo maturitas, & prudentia appareret; vt mirandum non sit, si sapientia citiùs, quam ætas adoleuerit, in qua M. Antonius Columna supra teneros annos, supra æquilium æmulationem, supra expectationem Parentũ, supra Maiorum exempla, denique supra omnium

admiratione adeo se præbuit, vt singulari quidem prærogatiua felicitatis in aurora demonstrauerit meridiem, atque diem affectauerit, qui nesciret occasum: tantus in eo splendor ingenij, tantum animi decus elucebat. Sed magis adulta iam ętate intellectis militaribus Genitorũ vocibus, ipsum ad domesticum armorum decus, reuocantium, institutum mutauit, ac scientiarum splendori bellicam prętulit laudem, vt hęreditaria decora illa, quę ampla à Maioribus acceperat, augeret, & splendidiora suę traderet Posteritati; Vnde ardenti laudis humanę studio percitus, cum magnam in corporis ornatu poneret elegantiam, æquorumque, & armorum vsu præcelleret (Quę laus est illa in ætate tam rara, quam pręclara,) heroicę strenuitatis indiciis, quæ clara cæteras inter virtutes illo emicabant in pectore, egregia nobilis Militiæ tyrocinia coepit fortiter exercere, otioque iam victo, immanissimo sicut duce, reliquas faciliùs copias dissipari non ignorauit: Nam elaboratę à Parentibus nobilitatis dignitati nihil ademit, sed admirationem auxit, quod non tam Maiorum gloria, quam sua virtute clarior, omnes anteiret; talem enim esse opportet, qui in illa glorię pale-

paleſtra certare velit, & non vilem adipiſci laudem, & qui ſtrenuus haberi cupiat luctator, ipſe enim adhibens conſtantiam maximarum rerum effectricem in omnibus rebus, nouus ſicut Macedo, ſpiritus illos Militares, atque ea Victoriarum inſignia, exornataque Trophæa, in diſiunctiſſimis Terrarũ oris erecta, quæ bellicoſam illam atque triumphatricem domum decorauerant, æmulo liuore Maioribus inuidebat, & vt eam familiæ claritatem decebat, & quantum Romanum robur poſtulabat, ad comparanda Militiæ decora accinctus, regalia tantummodo, ac ſupremæ quidem ſtrenuitatis, exoptabat pectora, quæ ſecum in arenam deſcendere, & decertare viderentur; Quoniam Romana virtus moleſte fert, ſe in ea dignitatis contentione ſuperari; Nam ſæuiat Tyrannorum iniquitas, in arma fremant milites, vndę Oceani iam fluctuantis minentur, aperiatur Terra, rupta elementorum fide, concutiantur fundamenta terrarum, tonet Cœlum, fremat aer, mugiat Aeolus, inhorreſcant minæ, fulminet Iuppiter, ferueat Mauros, ac fractus incumbat ſibi vniuerſus Terrarum Orbis, non pallet, nec pauet, ſed inconcuſſam, & impauidam ferient ruinæ. O pręclaram

admiratione adeo se præbuit, vt singulari quidem prerogatiua felicitatis in aurora demonstrauerit meridiem, atque diem affectauerit, qui nesciret occasum: tantus in eo splendor ingenij, tantum animi decus elucebat. Sed magis adulta iam ętate intellectis militaribus Genitorũ vocibus, ipsum ad domesticum armorum decus, reuocantium, institutum mutauit, ac scientiarum splendori bellicam pretulit laudem, vt hęreditaria decora illa, quę ampla à Maioribus acceperat, augeret, & splendidiora suę traderet Posteritati; Vnde ardenti laudis humanę studio percitus, cum magnam in corporis ornatu poneret elegantiam, æquorumque, & armorum vsu præcelleret (Quę laus est illa in ætate tam rara, quam pręclara,) heroicę strenuitatis indiciis, quæ clara cæteras inter virtutes illo emicabant in pectore, egregia nobilis Militiæ tyrocinia coepit fortiter exercere, otioque iam victo, immanissimo sicut duce, reliquas faciliùs copias dissipari non ignorauit: Nam elaboratę à Parentibus nobilitatis dignitati nihil ademit, sed admirationem auxit, quod non tam Maiorum gloria, quam sua virtute clarior, omnes anteiret; talem enim esse opportet, qui in illa glorię pale-

palestra certare velit, & non vilem adipiscì laudem, & qui strenuus haberi cupiat luctator, ipse enim adhibens constantiam maximarum rerum effectricem in omnibus rebus, nouus sicut Macedo, spiritus illos Militares, atque ea Victoriarum insignia, exornataque Trophæa, in disiunctissimis Terrarū oris erecta, quæ bellicosam illam atque triumphatricem domum decorauerant, æmulo liuore Maioribus inuidebat, & vt eam familiæ claritatem decebat, & quantum Romanum robur postulabat, ad comparanda Militiæ decora accinctus, regalia tantummodo, ac supremæ quidem strenuitatis, exoptabat pectora, quæ secum in arenam descendere, & decertare viderentur; Quoniam Romana virtus moleste fert, se in ea dignitatis contentione superari; Nam sæuiat Tyrannorum iniquitas, in arma fremant milites, vndę Oceani iam fluctuantis minentur, aperiatur Terra, rupta elementorum fide, concutiantur fundamenta terrarum, tonet Cœlum, fremat aer, mugiat Aeolus, inhorrescant minæ, fulminet Iuppiter, ferueat Mauros, ac fractus incumbat sibi vniuersus Terrarum Orbis, non pallet, nec pauet, sed inconcussam, & impauidam ferient ruinæ. O pręclaram

scilicet commendationem, ò preconium singulare; illos appello veteres, Romanę incrementa potentiae, & lumina Maiestatis. Sit clarus Mutius ille, qui penetrauit in hostes, pęnaque sanè voluntaria puniuit errorem Romanae quidem Reipublicae saluberrimum, tùm quoque inter tantas fortunæ minas metuendus magis, quam metuens, dexteram accenso in ara foculo magnanima planè ferocia iniecit, vt Patrię profectò libertati sacrificaretur, & illa flamma tanto fuit gelu Hetruscorum Tyranno, vnde obriguit ipse; Quapropter veritus est, ne in illa suam potentiam in cinerem redigi videret, in qua, Aurum quodammodo, aliorum virtus perficiebatur; Rogum vidit sibi fuisse praeparatum, vbi se Triumphaturum sperabat. Sit in æterna gloria Marius: ex illo tamen Mario tam humili, ille Marius emersit, qui Africam vicit, Theuthonas, & Cymbros profligauit, cuius triumphalem quidem currum dux potentissimus quōdam, & nobilissimus, Iugurta, cohōnestauit; Habeatur vir egregius Scipio, qui Carthaginē duabus nixam Hispaniis, huic Imperio imminentem, prostrauit, Barbarasque Nationes contriuit, compulit, domuit, Romanique fascibus parere

rere coegit. Ornetur eximia laude Cęsar, qui Gallicis triumphis decoratus, eos nimis leuia gloriæ præmia putauit: nisi Pharsalici Campi Romano sanguine fluctuarent, nisi Respublica, in Dictatore, Dominum, non Consulem admitteret, & nisi maiore, cum Coricolano, laude non Matris Imperio cederet, sed Patriae lacrymis moueretur. Anteponatur omnibus Pompeius, quem per scopulos, regionesque nullo propemodum vestigio signatas, traxit, vt tantummodo imperaret, vel sudato Magni cognomento cohonestaretur. Celebrentur Curius, Brutus, Fabricius, Papyrius, Paullus, Camillus, qui per ardua Montium, per lubrica Valliũ, per discrimina laborum, per naufragia diuitiarum, per medias Ciuitatũ ruinas, per incendia Regnorũ, atq; per ipsos mortis tramites, de acerrimis gentibus, ac nationibus, in hanc Vrbem Terrarum, Marisque totius longè, lateq. fusi Reginam, Maximos omnis memoriae Triũphos, per omnium ordinum acclamationes, atq. plausus reportarũt. Sed ne longior pouehatur Oratio mea, ac ne degeneret, qua laudum prædicatione Romanum Heroem efferam? Qui cum antiquissimos Maiorum fasces, & amplitudinem Familiae, clarissimo ductã fonte, minimè vsurparet, suis tantum splendidit

gloriis, & non alienis, mortalibusque signi-
ficauit vniuersis, ipsum esse Romanum Pa-
tria, natalemque ab ipsa deduxisse virtute;
Nam Vrbs illa togata, ac rerum Domina,
Theatrum extitit pulcherrimum ingenio-
rum, atque inuicta animarum genitrix bel-
latricium, armorumque, & literarum ita
amans, vt cum hac vna non Rhodus, non
Alexandria, aut ipsa Atheniensium Ciuitas,
conferenda esse vllo modo videatur. Sed
quid ago? (Princeps Excellentissime) com-
mendationem hanc, quæ decurso iam spa-
tio calcem ingrediebatur, vix dum è carce-
ribus emissam puto; Nam vastissimum
mihi laudum pelagus aperitur, ingeniumq;
ab illius vndis iam obrutum animaduerto;
verum in tanta rerum copia inopiam ver-
borum, vel in Principibus Oratoribus, pro-
creante, sicut Rhetorum Concilium est, ex
earum varietate seligam vnum aliquid,
quod præstare cæteris, & eminere videa-
tur, vt ex hisce difficultatum scopulis ena-
uiget Oratio, & tutissimum, tranquillissi-
mumque portum faciliùs consequatur. Id
enim bellorum incendium mihi venit in
mentem, quo immanis Orientis Tyrannus
Cyprum deuastauit, ac cetera quidem Chri
stianorum oppida, & regna incendisset, nisi
præ-

præſto dexteræ tam magnae liberatricis au-
xilium adfuiſſet. Sæuiebat in dies, confinibusque pęnè grassabatur Christianorum plagis, facinoroſiſſimum praedonum peſtis formidabilis, atque omnes adeo inuaſerat angulos, vt nullus hominum ordo, nulla condicio, ab internecione, & rapinis ſecura, reperiretur. Hinc igitur cum vniuerſa Barbarorum claſſe ex improuiſo Othomanus Imperator delatus in Cyprum, deliciarum hortulum, lætitiæ nidum, ac repentè locus ille, qui extiterat olim gratiarum hoſpitium, factus fuit furiarum habitatio. Non igitur hęc videas tantum, ſed audias etiam luctum cum violentia, & diſcordia miſceri per plateas, vbi quondam riſus, Amorumq; Chorus ſedem habuerat: inſanientium Militum voces, claſſicorum cantus, armorum tumultus, tubarũ clangorem, metallorum fulmina bellicorũ, cędentium impetum, cadentiũ gemitum, auaritiam in rapinis, libidinem in flagitiis, in violandis Relligionibus impietatem, crudelitatem in Ciuium ſtragibus, & direptionibus Vrbium, in tectorum incendiis, in vaſtationibus agrorum; Claſſemque Mari aperto, Barbarico vlulatu perſonantem, immanes, & nunquam ſatis deploratas, Rhodi clades renouari,

feralem illam Othomanici Tyranni dominandi libidinem, per omnes campos cadaueribus oppletos, infana rerum molitione graſſari, atque Fidelium ceruicibus, & Religionis noſtrae iugulo imminere.

Crudelis vbique
Luctus, vbiq; pauor, & plurima mortis imago.

O ſpectaculum flebile, id quidem omnibus, neminè tamen flebilius, quam tibi, ò Nicoſia, Vrbs profectò illis in oris percelebris, ac fortiſsima illarum Princeps Ciuitatum; Tù bellicorum fulmine tormentorum, rerumque ordine conuulſo, funditus tremefacta, tenebrisque immenſæ denſitatis flebiliter atrata, parentali nænia tantas inter ruinas, tantosque inter fulminantium bombardarum ſonitus, vlulaſti. O deteſtandam, vnoque dignam Othomano Barbariem. Tù vidiſti Tyrannum illum in æquata Terrarum planitie cadauera montium inſtar erigere, ſupremae faſtigium immanitatis aſcendere, moenia complanare, Moles diruere, neque trepidantium ſquallore matrum, neque lactentium innocentia liberorum moueri. Hinc Pius hoc nomine Quintus, Maxima quidem Sanctimonia Pontifex celeberrimus, nobis demonſtrauit, laudatiſſima inter Chriſtianę

Re-

Religionis officia, nullum esse ad significationem pietatis illustriùs, ad bellicae fortitudinis laudem magnificentiùs, ad famæ perennitatem pulchriùs, ad memoriam Posteritatis gloriosiùs, ad veram solidamque gloriam prædicabiliùs, ad incolumitatem Reipublicae Christianae salutariùs, nisi bellicam expeditionem suscipere, arma comparare, milites scribere, congregare copias, instruere classes, egredi Paternis è tectis, remotissimam adire Regionem, Barbarum Imperatorem ad pugnam euocare, eundemque temerè triumphantem è curru præcipitem agere, opprimere, nutantem alicubi Religionem confirmare, nobis liberalissimè Victoriae fructum laborum discrimine, dignitatem nominis vulnerum dedecore, salutis diuturnitatem immaturae mortis acerbitate parere, libertatem in oppida, Religionem in Templa reducere, quę omnia sunt pietatis argumenta, tam salutaria mortalibus, quam immortalibus grata. Ad reprimendam ergo Turcarum insolentiam in victoriis Pontifex sapientissimus, sub M. Antonio Columna, egregio quidem Imperatore, cōplures expediuit Heroas, & Naues, vt denuo nostris etiam tēpestatibus Orien-

Orientalis Pharao, vndarum denudata concordia, poſt tot documenta plagarum, cum nobis haec COLVMNA dux eſſet, Maris diſcidio, reuolutis proprij ſanguinis fluctibus cum exercitu abſorberetur. Nauigabat enim cum aliis inuictus Imperator anhelans cędem, martemque ſpirans, nouus quodammodo Iaſon non ad vellus Auri acquirẽdum, ſed ad gloriae properabat, quoniam Romana virtus non ſeruit fortunae donis, ſed dominatur. Cum enim in Siciliam acceſsiſſent, illis inuenerunt in oris Ioannem Auſtrium non mea tantum, ſed omni omnium prędicatione mortalium Principem Inuictiſſimum, & puppes, quas Florentia, Melita, Venetiae, & Hiſpania, miſerat armatas, vt peſtem, ac perniciem, quam Barbari illi nobis machinabantur, in ipſorum capita conuerterent. Hi ſimul coniuncti in ſinu Ambracio in immaniſſimum Chriſtiani nominis hoſtem inciderunt; Quod gaudium, quae ferocia, quae virtus, quae alacritas, quae hilaritas, noſtrorum emicare viſa fuit in pectore? Vicit denique cum cęteris, & complures aduerſariorum Naues cepit, & infinitas propemodũ Chriſtianorum copias Treicia à ſeruitute liberauit Marcus Antonius Co-

lum-

lumna, quo longè Magnificentiùs, quam suis illis quondam Heroibus Roma gloriari potest, qui Anibale victo, fugato Pyrrho, Cartagine excisa, Numantia euersa, cæterisque Barbarorum Nationibus profligatis, per amplissimos honorum, ac victoriarum tramites, ad fastigium huiusce Maiestatis prouecti fecere, vt nullus iam Terrarum angulus Romanos frænos ignoraret. Illos etiam appello, fortissimos Heroas, Ascanium, inquam, qui Corneam familiam insignibus latissimè triũphis, cohonestauit aliosque cõplures, qui potiti Maiorum virtute, & gloria sub hac firmissima, ac solidissima Romani nominis, ac dignitatis COLVMNA, audaciores iam facti, valdè victoriam illam præclarissimis suæ dexteræ facinoribus decoram reddiderunt. Te minime praeteribo, Francisce Braccioline, qui in conflictu illo tam commendato, pulcherrimis vulneribus affectus aduerso corpore, tui purpuram triumphi proprio in sanguine colorasti, & ad æternae Capitolium Beatitatis aduolasti, vt emenso strenue curriculo, & tacta feliciter meta, te splendidissimum laudum eximiarum in illa immortalitatis Arce, coronamentum decoraret. Iam olim floruisti in Bello, nunc

vero

vero te renouatum video in pace, præsertim in illo Fratris Filio, quem Musæ Parentes ęternitatis, & gloriæ nutrices, regnatricium APVM sub auspiciis, ingenuo lacte disciplinatum, & melle sapientiæ in hortensibus Parnasij culminis deliciis educasse gloriantur. Illum enim bellorum ignem altæ pacis cinere consopiuit aliquando, sed non extinxit Romanus homo; nam indecorum sibi putauit, nisi ad Triumphalem bellicæ suæ virtutis gloriam pacatæ quoque pietatis laus accessisset. Quare exorta Venerium inter, & Ioannem Austrium discordia, ac bellatores Militum animos, qui inter se dissidebant, imò ad mutuam ferociebant stragem, ita composuit, vt amplius inter eos nulla inimicitiarum, aut irarum indicia remansisse viderentur. Hinc exorata pax; hinc dissidia sublata; hinc conciliata concordia; hinc hominum Bellicosissimorum præcipites animi à mutua in semetipsos sæuiendi barbarie reuocati; hinc dulciter contumacium Ducum audacia compressa; hinc omnium irarum genera depulsa. O præstantem hominis animum, æquè fortem, ac pium; O præclaras laudes publico præconio excipiendas. Sileant

hic

hic veterum illæ tantopere celebratæ laudes; obscuretur illa dextera Carthaginis, Numantiæque expugnatrix, claraque illa, & exornata Trophæa, illustrium Victoriarum insignia, conticescant; Quippe omnium eorum gesta, quę Oratorum excedere copiam videbantur, huius vnius gloriæ splendore obscurata delitescunt. Quid plura? (Princeps Excellentissime) nulla vitę pericula, nulla corporis incommoda, nulli fluuiorum transitus, nulla Montium præcipitia, nullę Syluarum angustię, nullę viarum difficultates, quę omnia cęteros ab incepto solent retardare, & à rebus gerendis abducere, eius animum terruere, accurrere ad publicum armorum incendium, Barbaricarum flatibus Nationum excitatum, innumerabilibus latissimè stragibus diffusum, vigilare, festinare, cuncta obire, cognoscere virtutis ramos è laboribus, atque sudoribus produci, in expeditionibus premere Maiorum vestigia, & in antiqua possessione bene collocatae laudis hęrere cum dignitate, quae aut strenuo milite, aut egregio Imperatore digna videbantur. Ipse nimirum, verax Romanae fortitudinis spes, in certaminibus, & trium-

triumphis,exempla renouauit eorum,quos Vrbs ipsa de celeberrimo Phrigiæ cinere nata, ac Terrarum, Mariumque omnium Princeps, in lucem edidit, eosque teneris ab infantiae cunabulis ferox armorum sydus afflauit,vt Natio tantummodo illa,quæ togata cæteris quocunque tandem nomine nuncupentur, Rebus publicis, auctoritate, vitae moribus, prudentia,ac maiestate,antecellebat,ad bellandi quoque discrimina informari videretur. Voluerunt sępe sępius Rhetores in quacunque dicendi parte, nomen ipsum hominis laudati materiam peramplam præbere posse dicentibus; scilicet si nomen fuerit, quo cohonestatum hisce temporibus. Heroem aliquem, aut virum clarissimum, vel scriptorum monumenta, vel fama testetur, tunc enim occasione ex nomine sumpta, inter facta viri, à nobis exornati quædã instituenda est comparatio, vt Oratio pulchrior, ac splendidior videatur. Quod sanè non adhibui; non enim cum M. Antonio, qui aduersis cessit Imperiis, leucatenque nobilitauit fuga, ac sui nominis infamia; Sed cum Magno Macedone illo, qui prçliorum, amplitudine, & felicitate præstantissimus exercitum per longissimos Marium tractus in-

tra

tra Gangem, & Indum deportauit, vt victor sui fines Imperij Terrarum ea tempestate cognitarum finibus terminaret, & cum Cn. Pompeio, qui ob magnitudinem rerum gestarum, Alexandro, cui bellorum gloria Magni cognomen in perpetuum confirmarat, primùm Militiæ prærogatiua; deinde omnium populorum suffragio, est æquatus; ac denique cum Cæsare illo, aliisq. quidem Imperatoribus comparandus est M. Antonius Columna, qui reiectis deniq. Militiæ laboribus, in quibus paucissimos æquales habuit, superiorem fortasse neminem, in altissima pace constitutus, Regalem gerens vicem in Sicilia ad gloriam illius Nationis vniuersæ, amplissimis eam suæ liberalitatis monumentis Insulam reddidit splendidissimam, & suo nunquàm morituro nomine remotissimas quoque aures adeo impleuit, vt mirabiliter Romanis cacuminibus, atque Indicis cautibus, clarior in dies, Echo egregiæ fortitudinis, atque famæ, resultauerit. Verum illam in conflictibus ferociam, illam in Victoriis modestiam, illud conseruandæ Reipublicæ studium, illũ tam magnanimum impetum gloriæ Militaris, illam pro salute publica fortitudinem, in virorum pectoribus, animisque grato-

rum Ciuium; viuentem illam animositatem, illam excellentiam in armis; & solertiam, illas tandem aduerso corpore cicatrices, illa vulnera, illa tot eximiæ decora Militiæ, quæ silebunt monumenta literarum? quæ ignorabunt Nationes? quæ annorum fuga delebit? quæ obscurabunt inuidentiæ tenebræ, quæ Proinciç, quæ linguç, quæ sçcula non prędicabunt? Viuit ad huc Marcus Antonius Columna cuius virtus Romano calamo nuper exornata, & summis Poesos illustrata luminibus in Heroico disertissimi Tronsarelli Carmine spectatissimum Cœlum habet suç laudis, & gloriæ. Spirat adhuc, eiusque fama in animis immortalibus Posterorum, sepulchrum accepit immortale, & gloriosum; viuit viuit adhuc in suarum accessione virtutum, & beneficiorum, atque eius fortitudo in Nepotibus imitatione celebratur, prædicatione percrebrescit, ęmulatione propagatur; Neque illum amisimus, qui in ęternitate temporum per omnia immortalium laudum prçconia comendatus gloriosissimè elucescit; & prçcipuè tuis in filiis, (O PHILIPPE) apud quos, Heroas veteres illos, obscuratos, ac no-

 stro

ſtro ęuo ſuperatos, iam videat Romæ, quę tantorum cumulo honorum, & virtutum metitur magnitudinem fœlicitatis ſuę, & nominis maieſtatem, & amplitudinem Imperij, cuius iacturam nulla poteſt eloquentior, quam lacrymarum affluentia, perorare.

D I X I.

DE LAVDIBVS
DOMINICI
CARDINALIS
CAPRANICENSIS.
ORATIO
MICHAELIS ANGELI
SAMMARVCI ROMANI
AD
S. P. Q. R.

Habita in Aula Almi Collegij Capranicensis, secundo die Paschatis Anni M. DC. XXXII.


SECVNDA IMPRESSIO.



Romæ, In Hospitio Puerorum Litterati. 1633.
Apud Io: Baptistam Roblettum.

Superiorum permissu.

[illegible]



Illustrissimo, & Excellentissimo

DVCI

F V L V I O

C O R N E O.

Michael Angelus Sammarucus F.


X clarissima tuæ Excellentię luce (Magnanime Princeps) subiit me audacia afferendi splendorem huic meo tenera in Adolescentia labori, quē ingenij, & styli mei partum dicam ne? an abortum? cuius imbecillitati iam olim firmissimum constituisti munimentum, vt sine periculo appareret; Nunc vero iterum eundem tuis sub

auspiciis Typis mandare decreui; Paruas ex-usabis vires, quæ si deficient, ipsa inferuiet optimè voluntas; Nam ne vlla liuoris vmbra mihi afferat molestiam, hanc meam Orationem, quam in nostro Almo Collegio Capranicensi habui, quamuis exiguum obseruantiæ meæ pignus, Inclyto Nomini Tuo haud immeritò consecratam denuo ad te mitto. Vale.

DE LAVDIBVS DOMINICI CARDINALIS CAPRANICENSIS ORATIO AD S. P. Q. R.



REQVENTIA vestra incredibilis, Quirites, concioque præstantissimorum pari nobilitate, & sapientia Ciuium, torpentem me, ac dubitantem excitat ad dicendum, atque adornandam extincto Principi laudationem; nempe fugitiuum mortali-

talitatis lenocinium, & exigua lacrymarum solatia, ipsa cum Oratione peritura; Rediit enim anno vertente illa dies, mihi quidèm propter Prouinciæ demandatæ magnitudinem non nihil pertimescenda; vobis propter Orationis meæ ieiunitatem non vehementer expetenda; Omnibus verò propter præclaram Dominici Cardinalis Capranicensis memoriam summa animi alacritate recolenda, qua Virum præstantissimum anniuersaria laudum prædicatione in hoc Sapientiæ Theatrum reuocamus, vt iacta à se iampridem gloriæ fundamenta, in grata virtutum suarum recordatione succrescentia recognoscat; Sed quomodo hoc tempore factum sit, vt ego de tanto Viro dicere debeam, in quo exornando summorum Oratorum voces, atque ipsa propemodum eloquentia conticesceret, & mirari vos arbitror, & me nescire profiterer, nisi hoc etiam Dominici gloriæ datum putarem; vt Oratoris infantia rerum præclarè gestarum magnitudine iuuaretur; quod ergo me à dicendo deterrere debuisset, hoc ipsum vehementius incitauit, cum Orationis exilitatem in tanta rerum copia timere non possim, & humanitas etiã vestra qualesquales conatus meos boni consultura sit.

Et

Et mihi quidem in Dominici Capranicæ mores, vitęque institutionem intuenti; illud veniebat in mentem, quod à viris sapientissimis prudenter obseruatum intelligebam; eam videlicet Romano Cœlo inesse vim, vt quicunq. sub illo fœliciter oriuntur, nescio quid imbibant arcanum, & efficax, quod illos ad literatam pariter, armatamquè gloriam vehementer extimulet. Hinc præclara illa Romanorum veterum nomina, & armis, & doctrinis illustria, quę fastos vestros locupletant (Quirites) ad imitationem vtriusque laudis Posteros alliciunt, & insita mortalibus æmulatione sollicitant; Quod vt multis probare non debeam, facit vnius Dominici indoles, in vtrumque flexibilis, & ipsa studiorum varietate memorabilis: & prima quidem pueritię rudimenta in literis posuit, cum ætas illa nondum laboribus assueta, & disciplinae asperioris impatiens, erudiri tantisper in Palladis Castris ad togæ munera postulatet, vt animum bonis artibus imbutum, ad eiusdem Palladis, sed armatae, stipendia aliquando trasferret: & operae sanè pretium extitit: nam placidi, ac subacti ingenij puer per omnes ingenuarum

rum

ſed vt omnibus à prima ſtatim Adoleſcentia artibus aſſueſceret is, qui omnes deinde in reliquo vitę curſu vſurpare ſummo cum populorum emolumento debebat; Quos in legum nexibus reſoluendis labores non exhauxit? quas moleſtias non eſorbuit? intelligebat nimirum nullis parcendum vigiliis, laboribus nullis, illi, qui in Romana luce vellet mediocri ſaltem cum laude verſari; nobilitatem generis, fumoſas Auorum imagines, ſtemmata longo à Proauis ordine deducta, ludibria eſſe fortunę ſtatim euaneſcentia, & parum prodeſſe ad gloriã, niſi illa virtutis pretio facias ampliora: marceſcere breui adoleſcentiæ florem, formę illecebras, vel ſola temporis diuturnitate contabeſcere, eneruari vires iuuentutis, diuitias in cogitantibus effluere, honores euaneſcere, corpus ipſum, vel ſenectute fatiſcere, vel morbis ingruentibus elangueſcere; Sola animi decora perennare, virtutis ornamenta in dies clariora coruſcare, doctrinam nominis immortalitatem polliceri; Laborandum proinde Adoleſcentibus ſtrenuè, vt humo ſe tollant, & cum pręſentis vitę ſubſidia, tum futurę decora literarum auſpiciis conſequantur. Hęc vt apud ſe ſtatuit magnanimus

mus adolescens, in eam curam constanter incubuit, vt exacta legum peritia, sibi nominis æternitatem, Ciuibus suis noua insuper decora compararet. Hinc laurea donatus, non quidem Apollinari, sed ea, quam suis manibus Astrea compegerat, sociis suis exemplo prælusit: quam bene adolescentię studia, laboresq. locentur. Vix enim alterum, & vigesimum natus annum à Martino Quinto Summo Pontifice, quem licet absentem, doctrinę, atque virtutis opinione sibi conciliauerat, Mantuam accitus inter Apostolicae Camerae, quos vocant Clericos, numeratur: hoc est inter Vrbanos Romani Principatus Quæstores, qui plurimum ea tempestate, & apud Principem gratia, & apud cæteros auctoritate pollebant: Nec ita multò post Secretarius renunciatur, vt Collegium illud Amplissimum doctorum in primis Virorum Soietate venerabile, Dominicus suis etiam ornamentis cumularet. Magnum est, Quirites, ita vel literarum gloria, vel rerum gerendarum vsu, vel morum innocentia, florere, vt in se omnium mortalium oculi coniiciantur; At quantò præclarius cum Dominico actum putabimus, qui clarissimis

viris

viris, & familiaritatis iure, & muneris societate coniunctus, omnibus tamen sanctimoniæ, doctrinęque opinione præcelluit; Hos ego cum nomino, Leonardum Aretinum, Cincium Romanū, Antonium Luscū, Poggium Florentinum, Iacobum Lāpsum, Blondum Foroliuiensem intelligo, prętantissima, vt videtis, nomina, & Posterorum admiratione dignissima; Hos inter adlectus à Summo Pontifice Dominicus, mirū quantum sapientissimi Principis voluntatem sibi deuinxit, cum opinionem de se conceptam virtutis magnitudine superauit; Hinc ad dissoluendum ex Pontificis decreto Conciliū, Senas mittitur, ac re benè, & fęliciter gesta, Romam rediens Prothonotarius declaratur, & Æmiliam pro Legato administrandam cum Imperio proficiscitur. Vna nimirum Vrbe, quamuis amplissima, atque Vrbium omnium regina, contineri virtus tāta atq; doctrina nō poterat, quæ ad publicum Terrarū Orbis beneficiū Dominico fuerat concessa diuinitus. In illius administratione Prouincię quę nō edidit documēta sapiētię? vt totus in literis abditus ea à Iuriscōsultorum monumētis hauriebat documēta, quæ ad populorū vtilitatē opportunè depromeret? Sed quid ages tandem iuuenū nobilissime?

quo

quò te literatus ardor àbripiet, quò te do-ctrinæ amor abstrahet? & à reliquis vitæ curis auocabit? ad arma velis, nolis, deueniendum est, atque vt te scientiarum studium in tranquillitatis sinu detineat, in turbas tamen Romę tuę Genius, seditionesque proiiciet: Nimirum à Marte originem repetit gens Romana, & ferocis syderis afflatu ad bellandi cupiditatem erudita, spiritus concipit origini suę pares. Ipsa hęc rudera bellatricis quondam Vrbis, disiecta hęc Capitolij saxa triumphantium rotis sæpe protrita, hęc delubra deuictarum Gentium manubiis consecrata; hi Arcus, hæc Fòra, hi Campi, nescio quid indunt animis Posterorum, quod illos ad cruenta Martis pericula voluntariè impellit. Ita est, Quirites; A pacis otio ad belli negotium, & tumultus animum Dominicus auertit, vt nobilissimum ingenium, tum bellatorum sudoribus irrigatū, cum etiam sapientum disciplinis illustratum, latius elucesceret. Telorum ille volitantium fulgor aciem mentis exacuit; Inter vecordes vociferantium militum conflictus efferato impetu exardescentium mentem imbibit militarem: bellicas tamen disciplinas, non quasi incitamenta arrogantię, sed quasi virtutum

tutum instrumenta adamabat. Populos, qui in Italia inter se diffidebant, ac fluctuabant, Dominicus pulcherrimæ fundator pacis, amplissimaque armorum gloria, turmis fortissimorum Militum contractis (quamuis res bellica cæcos habeat euentus) tutus accedens, plenus virium, animi plenus, debellauit, commotosque animos conciliauit, atque illos tanta beneuolentia sua humanitate, mansuetudine, prudentia, inuicem deuinxit, vt inter eos nullæ inimicitiarum, aut irarum causæ remansisse viderentur, sibique, ac rebus suis optimè consultum à Dominico crederent, & gloriarentur; Hos autem animæ bellatricis igniculos, insita morum temperatione consopitos, sed non extinctos, opportunè rursus excitauit, cum in agrum Picenum summo cum Imperio Præfectus, & aduersus Franciscum Sfortiam exercitum conscribere à Pontifice iussus, quamuis Ducum ignauia prælij euentus non satis prosperè cecidisset, Asculum tamen, firmum, aliaq. oppida non vulgaria, qua vi, quo concilio, cœpit? & Romani Pontificis ditionem amplificauit; Sed non diù bellandum cum hostibus fuit homini sapientissimo, & iamdudum Sacræ Christi Militiæ mancipato,

das Alfonsi Regis cum Venetis inimicitias, optimus ad coercenda prudentis charitatis officiis dissidia seditionum, promptus ad bellorum incendia cælestis concordiæ spiritu restinguenda, & ad conciliandos inter se Christianorum Principum animos, à Pontifice Legationis gloria decoratus, Bizantium Vrbem illam Imperij Sedem, tum primis à Turcis per fraudem occupatam, tot inter immanissimorum hostium proprio sanguine fluctuantem, è media colluuione Barbarorum euocare, è Turcarum faucibus eripere, & ipsius immanitatis complexu, atque seruitute, in libertatem asserere tentauit, opemque tulit; quam homini priuato licuit præstare. Sed nihil æquè diligenter curauit, ac interiores animi seditiones ita cohibere, vt ratio Princeps, ac Diuina pars hominis dominaretur, sensuum vero satellitium non esset in potestate. Fuit in Dominico humanis periculis eminentior animi magnitudo, nullis vitæ labefactata illecebris, nullis mortis exanimata terroribus; Nemo fuit, qui constautissimæ mentis firmitatem non admiraretur. Illo iam tempore post tumultuantes Maris æstus recepta velut in

Portu paupertas, & frui tranquillitate cepit, & nouo repentè miraculo euasit in diuitem, quæ lacera, & gemebundo aspectu à Dominico suscepta vnum eum patronum inuenit, & patrem. Quid dicam de aliis virtutibus, quæ à tanto Principe promanarunt? quid de molibus excitatis, atque erectis, Testor Sacellum illud in templo Magnæ Virginis cognomento supra Mineruam, augustum illud antiquæ Magnificentię monumentum, quo cum vix piramides Ægypti, & Cariæ Mausolæa possint de Maiestate contendere. Quid commemorem eius in victu parsimoniam? & quod memorabile est, pudicitiæ florem? qui in amenissimo laudum eximiarum horto, summam æquidem potulit virtutum variarum pulchritudinem, admirandęque sparsit odorem sanctimoniæ. Quid de liberalitate? Aspicite hoc nostrum Almum Collegium disciplinarum omnium emporium; non enim tam in huius Amplissimi Domicilij lapidibus Dominicus viuit, quod ad Phylosophiam nudriendam, fouendam Theologiam, Iurisprudentiam adamandam erexit, quam in Romana perpetuo viues iuuentute, quę in hac sede Doctrinarum ad Ciuilem fœlicitatem collocata est. vs

eius

eius gratam recordationem testetur laudibus, preconiis prosequatur, & ipse quoque liberales disciplinę linguę fiant ad eum exornandum facundissimę, porrò quanto maius est viuere semper omnium in oculis, habitare in animis, quam in monumentis. Hinc ætatem omnem tam Sanctè, Religiosèque traduxit, vt morum temperatione nihil Christianæ seueritatis officiis comitas officeret, nihil de comitate arctioris disciplinę custodia detraheret, vt amorem pariter, ac reuerentiam populorum sibi conciliaret. In Deum prius, munificus in homines, ita sibi vtrosque demeruit, vt ab illo virtutum omnium incrementum, ab his immortalitatem nominis adeptus sit. At nos pręcipuè in Amplissimam illius liberalitatis partem vocati sumus, quicunque in Capranicensi Collegio, in studijs bonarum artium, ad nominis gloriam, ad Reipublicę vtilitatem adolescimus; Nobis ille fecit hęc otia, in quorum sinu compositi honorificentissimè prosequimur studia Doctrinarum, vt qualisqualis isthęc ingentis beneficij commemoratio, non tam iustè laudari à vobis debeat, quod exhibetur, quam si pręteriretur, reprehendi merito posset, at-

atque vt ad munificentiam prorsus regiam, qua Domum, ac sumptus nobis suppeditat; alius etiam cumulus accederet. Collegij sui præfecturam vobis commendauit, Quirites, vt à vestris non tam monitis, quam exemplis, omnium repeteremus documenta virtutum, & repetemus sanè, ne simus ingrati, præeunte præsertim te, Valeri nobilissime, in cuius nomine, ne degeneret, conquiescit Oratio mea.

Valerius Sanctacrucius.

D I X I.

